

2856². OFFICIUM
VIRGINIS MARIAE
AD NIVES, SECUNDVM
SACRI ORDINIS CISTER-
CIENSIS RITVM,

In primis Vesperis

Antiphona.

Hæc siquidem est
illa scala cœlestis,
quã eximius ille
Patriarcha Iacob, de terris
vsque ad cœlum erectam,
in somnis tantæ reuelationis
inspexit, **A**lleluia.

Añã. Quãta nobis me-
ritis & intercessionibus
Mariæ Virginis beneficia
digna proueniant, nullis
vnquam poterunt sermo-
nibus explicari. **Antiph.**

Hæc quoque multis my-
steriorum signis, & pro-
phetarum oraculis nun-
ciata, humano tandẽ ge-

neri per fructum ventris
sui reparationẽ indulgit.

Añã. Placuit Dño egre-
giam hanc urbem matris
sux habitaculo decorare.

Cap. Vas castrorum in
excelsis, in firmamẽto cœ-
li resplendens, species cœ-
li gloria stellarum mun-
dũ illuminat excelsus Do-
minus. **Resp.** Spes des-
peratis. **Vij. Hymnus.**

Mysterium eccle. **Vers.**
Speciosa.

Ad Magnificat. **Antiph.**

Hanc electam sanctissi-
mam Virginem virga illa

A signa-

Officium Virginis Mariæ

signauit à suæ radicis viriditate cōpulsā, quæ tēpestiuè maturitatis flores & poma produxerat. **Alleluia.**

Collecta.

Quæsumus, omnipotēs Deus, vt qui beatæ & glorioſæ matris semperquē Virginis Mariæ stupendū Niuis miraculum pia deuotione recolimus, ipsius etiam suffragia consequamur. Per Dominum nostrum.

Inuitatorium.

Venite adoremus regem regum. Qui per demonstrationē Niuis matris suæ condidit habitaculum.

Hymnus. Mysterium.

In primo nocturno.

Antiphona. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Psal. Domine Dominus noster.

Antiph. Sicut myrrha electa odorem dedisti suauitatis, sancta Dei genitrix.

Psal. Cœli enarrant.

Antiph. Ante thorum huius Virginis, frequenter nobis dulcia cātica dragmatis.

Psal. Domini est terra.

Antiph. Specie tua, & pulchritudine tua, intēde prosperè procede, & regna. **Psal. Eructauit.**

Antiph. A diuuabit eā Deus vultu suo, Deus in medio eius non commouebitur.

Psal.

Pfal. Deus noster.

Añã. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix.

Psal. Magnus Dominus.

Verf. Ave Maria.

Lectio. i.

TEmpore quo Liberius Papa quartus à beato Siluestro, beati Petri apostoli sedem prouida gubernatione regebat, quidam Ioannes nomen, almæ Urbis patriatus curam gerens, tam morum, quàm generositate nobilitatis preclarus, possessionum ac multarum diuitiarum opulentia locuplex, cum filium non haberet, vnà cum cõiuge sua, quæ ei diuina

prouidentia tam morum quàm nobilitatis similitudine fuerat sociata, beatissimam Dei genitricem sibi in præcipuam ac specialem Dominam præelegerat.

Verf. i. Placuit diuinæ prouidentia egregiam hanc urbem matris suæ habitaculo decorare.

P. Quatenus dum à populo frequenter veneratur in terris, opem suæ intercessionis de coelis sibi gaudeant aduenisse.

Verf. Igitur omnipotens Dominus, quam glorioso & quam stupendo miraculo, suæ genitricis voluerit edificandam ecclesiam omnibus demonstrare.

P. Qua.

A 2

Lectio

Officium Virginis Mariæ

Lectio ij.

HI simul vno ore pari-
què deuotione bea-
tissimæ Virginis vota sol-
uètes dicebant, Regina cœ-
lorū, Domina angelorū
& saluatric omnium, tibi
cantò deuotiùs nos fragi-
les supplicamus, quātò vi-
scera pietatis tuæ copio-
siùs erga homines benigna
impendis.

Resp. ij. Tempore libe-
rij Papæ quidam Ioannes
nomine, almæ vrbis Patri-
cius, vnà cum cōiuge sua
quæ sibi fuerat sociata.

P. Beatissimam Dei
genitricem sibi in preci-
puam ac specialem domi-
nam elegerunt. **Vers.** Hi
simul vno ore, pariquē de-
uotione vota soluentes.

P. Beatissimam.

Lectio iii.

Accipe igitur, sanctis-
sima mater, quæ tibi
sincera fidei deuotione per-
soluimus, & ita vitam no-
strā & omnia quæ in ter-
ris, vt homines posside-
mus solita miseratione dis-
pone, quatenus nostra ti-
bi deseruiat actio, & no-
stræ facultates tibi in ali-
quo beneplacito obse-
quio expendantur.

Resp. iii. Non igitur di-
uina clementia præcibus
defuit supplicantium.

P. Nec pijsimæ Virgi-
nis aures à iustorum peti-
tione defuerunt. **Vers.**
Sed eorum vota, Deus
ex alto suscipiens, peti-
tiones ipsorum taliter vo-
luit effectui mancipare.

P. Nec.

Lectio

Lectio iiii.

NON ergo diuina clemētia precibus defuit supplicātium, nec pijsimæ Virginis aures iustorū petitioni defuerunt: sed eorū vota, Deus ex alto suscipiens, petitiones ipsorū voluit effectui mancipare, & fini debito tradere.

Resp. iiii. In Mense quidem Augusti, cūm acrioribus solis ardoribus telluris gramina desiccantur. **P.** Et homines magis solis adustionibus decoquantur. **Verf.** Eo enim tēpore voluit beata Virgo locum edificare, & suā basilicam hominibus demonstrare. **P.** Et:

In ii. nocturno. Antiph.
Gaude Maria Virgo cun-

ctas hæreses sola interemisti in vniuerso mūdo.

Psal. Benedixisti.

Añā. Speciosa facta es, & suavis in delicijs tuis sancta Dei genitrix.

Psal. Fundamenta.

Añā. Post partum virgo, inuiolata permāstisti, Dei genitrix intercede pro nobis. **Psal. C**antate.

Añā. Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias. **Psal. D**ominus regnavit exult. **Antiph.**

Veni in hortū meum solor mea sponsa, messui myrrham meam cū aromatibus meis.

Psal. Cantate.

Añā. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Ierusalem.

Psal. Dominus regnavit, irasc. **Verf.**

Officium Virginis Mariæ

Verf. Benedicta tu.

Lectio v.

INtrabat quippe tunc mensis Augusti. Quando acrioribus solis ardoribus telluris germina desiccantur, & homines solis adustionibus amplius decoquantur.

Resp. v. Quadam nocte mensis Augusti, subito contranaturam temporis aer nimia frigoris congelatione restringitur.

P. Et tanta niuium constipatione densatur.

Verf. Vt imbre desuper fuso in ipso casu niuium multitudo deflueret.

P. Et

Lectio vj.

Eodem enim tempore volens beata Deigenitrix locum ædificandæ sibi basilicæ hominibus demonstrare, quadam nocte iam dicti mensis, id est, nonis Augusti, subito contra naturam temporis totus aer nimia frigoris congelatione constringitur, & tanta niuium constipatione densatur. Vt imbre desuper fuso in ipso casu niuium multitudo deflueret, quæ solummodo ædificandæ locum basilicæ cooperiens, miraculum pariter, & algorem subministravit.

Resp. vj. Cùmque ille in tantæ visionis stupore penitus miraretur, & eius animus hæsitaret.

P.

P. Ab ea protinus responsum audiuit se esse Dei genitricem Mariam.

Verf. De qua Dei filius Dominus Iesus Christus, velut sponsus de thalamo ad homines incarnatus processit.

P. Ab ea,

Lectio vij.

IN ipsa denique nocte prænominato Pontifici, atque iam dicto Patrio & uxori suæ similem visionem sancta Deigenitrix voluit demonstrare, quæ res & reuelatio miraculi firmaretur aspectu, & subitanea temporis immutatione occultæ, visionis reuelatio nasceretur.

Resp. vij. Spes desperatis, fons magnificæ pietatis virgineo flore polens, cum matris honore.

P. Flos inter spinas, nostras sustolle ruinas.

Verf. Quia tu es Solamen desolatorum spes & mater benigna orphanorum.

PFlos.

Lectio viij.

APparens igitur sanctissima Virgo prænominato Pontifici, talieum admonitionis oraculo voluit edocere, operum tuorum intentio, & circumspectæ sollicitudinis vigilantia, qua Omnipotenti Deo plurimum placere cognosce-

ris

Officium Virginis Mariæ

ris te modo in hoc commendabilem reddiderūt, ita vt quod hæctenus erga mei nominis deuotionē ab alijs non fuerit attentatum per te mihi nunc placuerit cōsumari, adeo vt causa salutis existas omnibus qui deuotionē tui pectoris fuerint imitati.

Resp. viii. Cum autem ad eos pontifex vna cū patricio & Cardinalibus vniuersis exisset.

P. Hoc sermonis initium ad eos Papa exorsus est dicens.

Vers. P. Iurimum in Domino, fratres, gaudere & exultare nos conuenit.

P. Hoc.

Ad Cantica Antiph.

In ipsa denique nocte

Pontificiatque Patricio & vxori suæ. Similem visionem sancta Dei genitrix voluit demonstrare.

Cantic. Audite.

Vers. Post partum.

Lectio ix. Secundū Lucā.

In illo tempore, loquētes Iesus ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit, Beatus venter qui te portauit, & vberaque suxisti. Et reliqua.

Homilia Origenis.

Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, quæ scribis & pharisæis Dominum tentatibus, simul & blasphemantibus, tanta eius incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit tanta fiducia confitetur:

vt

Ad Niues.

vt & præsentium calū-
niam & futurorum con-
fundat hæreticorum per-
fidiam.

Resp. ix. Beatam medi-
cēt omnes generationes.

P. Quia fecit mihi Domi-
nus magna qui potēs est,
& sanctum nomen eius.

Verf. Magnificat anima
mea Dominum, & exulta-
uit spiritus meus in Deo
salutari meo. **P.** Quia.

Lectio x.

NAm sicut tunc Iu-
dæi Sancti Spiritus
opera blasphemādo, ve-
rum consubstantialēq;
Patri Dei. Filium denega-
bant; sic hæretici postea
negādo Mariam, semper
Virginem, Sācti Spiritus
operante virtute nascitu-
ro ex humanis membris

Vnigenito Dei, carnis suæ
materiā ministrasse, verū
consubstantialēque ma-
tri filium hominis fateri
non debere dixerūt. Sed
si caro Verbi Dei secundū
carnem nascentis à carne
Virginis matris: pronun-
ciatur extranea sine cau-
sa venter qui eum portas-
se; & vbera que lactassent
beatificarentur.

Resp. x. Virgo parens
Christi, paritura Deum
genuisti, fulgida stella ma-
ris nos protege, nos tuea-
ris. **P.** Dum paris & gau-
des, cantant cœli agmina
laudes.

Verf. Intercede pia pro
nobis, Virgo Maria.

P. Dum. **Lectio xj.**

QVa enim consequē-
tia eius lactē creda-

Officium Virginis Mariæ

Lectio xii

tur nutritus, cuius semine negatur esse cōceptus: cum ex vnus, eiusdemq; fontis origine, secundum Phisicos vterque liquor emanare probatur. Nisi forte putanda est, sementiam suæ carnis materiã nutriendo, in carne Dei filio suggerere potuisse: incarnando autem quasi maiori, & inusitato miraculo minime potuisse.

Resp. xi. Ecce fratres charissimi Nix, quam de cœlo in hoc feruentissimo tempore cecidisse cōspicitis. **P.** Diuini beneficii indicium demōstrat.

Vers. Quã ideo, omnipotens Dñs, voluit terris influere: vt nos suæ misericordiæ dealbandos ostēderet. **P.** Diuini,

Sed huic opinioni obstat Apostolus dicēs, Quia misit Deus filiũ suũ, factũ ex muliere, factum sub lege. Neq; enim audiendi sunt, qui legendũ putant & asserũt: natum ex muliere, non factum, Sed in vtero Virginali carnem, non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit è carne. Alioquin nec verè filius hominis diceretur: qui originem non haberet ex homine.

Resp. xii. Requiritentes verò locum, quod sancta Dei genitrix Pontifici repromiserat.

P. Eum plenum altis Niuibus inuenerunt.

Vers. In cuius siquidē circuitu tam alta Nix limitem

mitem fecerat, vt nullivideretur ambiguum.

P. Eum. Secundum Luc.

In illo tempore, loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit, Quinimò, Beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.

Collecta. Quæsumus.

In Laudibus Antiph.

Apparès igitur Sanctissima Virgo prænominate Pontifici, taliter eum admonitionis oraculo voluit edocere; habebis siquidem Ioānem Patriciū in hoc opere idoneū adiutorē. **Capit. Vascas.**

Respons. Aue Maria.

Vers. Speciosa.

Ad Benedictus Antiph.

Tempore Papæ Liberii quidam Ioannes nomine almæ vrbis Patricius, vna cum cōiuge sua, quæ sibi fuerat sociata, beatissimā Deigenitricē sibi in præcipuam ac specialem dominā elegerūt. **Alleluia.**

Collecta. Quæsumus.

Adj. Antiphona.

Sic in eodem momento prætaxato Patricio, & eius coniugi sub his verbis apparuit.

Ad iij. Antiphona.

Quam ob rem te scire volo, tuarū rerū, hæreditatūq; perpetuū successorē tibi olim voluit puidere. **Capitulū. Vascas.**

Vers. Aue Maria.

Collecta. Quæsumus.

Officium Virginis Mariæ

Ad vi. Antiphona.

Hoc ergo tibi impero faciendum, vt cum summo mane surrexeris, ad Liberium Papam festinã ter accedas.

Capitulum. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei heditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. **Vers.** Benedicta tu. **Collecta.**

Deus qui hodierna die ad declarandam gloriam B. Mariæ semper Virginis genitricis tuæ, per descensum Niuis in æstiuis caloribus locum, in quo ædificaretur ei templum, demonstrare dignatus es, tribue quæsumus, vt eius obsequiis insistentes, refrigerato æstu concupiscentiæ,

candore innocentia dealbemur. Per eundem.

Ad ix. Antiphona.

Eccẽ enim domui meæ locum specialem elegi.

Capitulum.

In plateis sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.

Vers. Post partum.

Collecta.

Deus, qui ad laudem beatissimæ Virginis Mariæ Matris tuæ eius Ecclesiam per demonstrationem Niuis fundari voluisti, concede nobis famulis tuis huiusmodi festum recollectibus vitam habere perpetuam. Per eundem.

Ad Vesperas super Psal.

Antiphona.

Ad

Ad quem, videlicet locū, ma Virgo, pietatis, & misericordiae mater, fidem plebs Vniuersa cōcurrēs, quam tibi sincera deuotione persoluimus. immensas gratias Deo, & beatissimae Virgini retulerunt.

Antiphona.

Vnde veloci cursu ad Lateranense Palatium vndique veniens, ostium pia cepit violentia infestare.

Antiphona.

Omnipotenti Deo, filij charissimi, immensas gratias persolvere nos oportet.

Antiphona.

Accipe igitur Sanctissimi-

ma Virgo, pietatis, & misericordiae mater, fidem quam tibi sincera deuotione persoluimus.

Capitulum. Vas.

Respons. Post partum?

Vers. Speciosa.

Ad Magnificae, Antiph.

Non igitur diuina clementia precibus defuit supplicantium, nec piissimae Virginis aures à iustorum petitione defuerunt, sed eorū vota Deus ex alto suscipiens, petitiones ipsorū tali voluit effectu emancipare. **Alleluia!**



DE NOSSA

SENHORADO

ROSARIO.

Lectio j.

 Go flos campi,
& lilium cōual-
lium. Sicut liliū
inter spinas, sic
amica mea in ter filias. Si-
cut malus inter ligna syl-
uarum, sic dilectus meus
inter filios. Sub vmbra il-
lius quē desideraueram,
fedi: & fructus eius dulcis
gutturi meo. Introduxit
me rex in cellam vinariā,
ordinauit in me charita-
tem. Fulcite me floribus,
stipate me malis, quia
amore languero. Leua eius
sub capite meo, & dexte-
ra illius āplexabitur me.

Lectio ii.

Vox dilecti mei, ecce
iste venit saliens in
montibus, tráiliens col-
les: similis est dilectus me-
us capreae, hinnuloq; cer-
uorū. En ipse stat post pa-
rietē nostrū, respiciēs per
fenestras, prospiciens per
cancellos. En dilectus me-
us loquitur mihi, surge,
propera amica mea, co-
lūba mea, formosa mea,
& veni. Iam enim hyems
transiit, imber abiit & re-
cessit. Flores apparuerūt
in terra nostra, ficus pro-
tulit grossos suos, vineae
florētes dederūt odorē suū.

Lectio

Lectio iii.

Hortus conclusus soror mea, spōsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisi malorum punitorum, cum pomorū fructibus. Fons hortorū: Putēus aquarum viuentiū, q̄ fluūt impetu de Libano. Surge Aquilo, & veni Auster perfla hortū meū, & fluant aromata illius, veniat dilectus meus in hortū suum, & comedat fructum pomorū suorū.

Lectio. iiii.

Albigentium hæresis vt antiquis historijs traditur, per Galliarū, & Italiæ partes effrenatè grassante, Beatus Dominicus primus prædicatorum ordinis Pater, & in-

stitutor, vt prædictā hæresim impugnaret, in partes Tholosanas secessit. Cum autem gloriosissimæ Virgini Deigenitrici admodū deuotus esset, cogitare cœpit quo pacto suā erga Virgine Deiparā deuotionem aliquo charitatis obsequio exhiberet: leuans ergo in coelum oculos ad montē gloriosæ Virginis Mariæ, quæ germine suo venenosi serpentis caput cōtriuuit, & de quo siæe manibus excisus est lapis ille, qui ligno crucis percussus gratiarū aquas affluētèr produxit: Spiritu Sācto aflat⁹, vt pie creditur sãctissimi Rosarij deuotionē adinuenit, inuentamq; per S. Romanæ ecclesiæ partes ppagauit.

Le-

De Noſſa Senhora

Leſtio v.

EST autē Roſarium, ſeu Pſalteriū beatæ Virginis, modus facilis ac valde pius exorandi Deū, quo eadē beatiffima Virgo, ſalutatione Angelica centum & quinquaginta vicibus, ad modum Dauidici Pſalterii repetita, & oratione dominica, inter quamlibet decimam poſita: cum certis meditationibus, totam Domini noſtri Ieſu Chriſti vitam demonſtrātibus, colitur, & veneratur.

Leſtio vi.

PRædictoq; orādi modo, per eius aſſeclas, fratres videlicet prædicatores, diuulgato, & à multis accepto, cæperunt Chriſti fideles in alios vi-

ros repente mutari, hæreſum incendia remitti, & lux catholicæ fidei ſplendere: ceperunt què ad hâc orādi formam diuerſis in locis ſodalitates, per fratres eiufdē ordinis à ſuis ſuperioribus deputatos inſtitui, & confratres in eis deſcribi: hoc autem longo tēporis ſpatio continuatum eſt. At poſt obitum glorioſiſſimi Patris Dominici ita cæpit minui, vt tandem penitus extincta fuerit.

Leſtio vii.

CVM ergo obliuioni tradita eſſet huiusmodi cā ſacta, & ſalubris deuotio, Glorioſa Virgo eam redintegrare, fideles què ad ſui cultum, & obſeruantiam reuocare decreuit

23
Do Rosario.

creuit: anno igitur Dñi
millesimo, quadragesi-
mo sexagesimo, gloria &
splédo re vestita, apparuit
fratri Alano de Rupe Bri-
tanno, Ordinis Prædica-
torū, viro glorioso, ipsiq;
Virgini admodum deuo-
to: eiquè præcepit, vt suo
nomine omnibus Chri-
stianis tam necessariam
precandi formam diuul-
garet, eosque ad huius
Sanctissimi Rosarii de-
uotionem incitaret, pro-
mittens sermonem se cõ-
firmaturam sequentibus
signis. Hic religiosus pa-
ter, gratias agens Virgi-
ni, summo animi studio
Sanctissimi Rosarii de-
uotionem cæpit prædi-
care, ceterosquè fratres,
vt idem facerent, exhor-

tabatur: cuius prædica-
tio, & aliorum patrum
cum multis signis con-
firmaretur, multi hanc
Sanctissimi Rosarii deuo-
tionem, tanquam scalam
ad cœlum, delegerunt.

Lectio viii.

Volens autem beata
Virgo rursus omniū
corda, & mentes ad hanc
deuotionē ardentius in-
flammare, anno Domi-
ni millesimo quadrigéte-
simo septuagesimo quin-
to, apparuit Priori Con-
uentus S. Dominici Co-
loniensis, præcipiens vt
caro populo prædicaret;
narraretquè quot, & quā-
ta beneficia Dominus in
eos, qui hoc Psalterium
deuotè ipsi offerebant,
conferret: hac prædica-

C

tione

De Noſſa Senhora

tionē audita, & hiſmira-
bilibus viſis quā plurimi
Chriſtifideles, in eiufdē
cōfraternitatis libris deſ-
cripti ſunt. Fuit autē præ-
dicta deuotio aut oritate
Sixti Quarti, qui tunc Ec-
cleſiæ Dei præerat, confir-
mata, multis conceſſis in-
dulgentijs illam recitan-
tibus: & poſtea ſimiliter
per multos alios Pontifi-
ces uſquē ad noſtra tem-
pora.

Lectio ix.

Cum autem ſolen-
tas huius Sanctiſſi-
mi Roſarij, non certa die,
ab omnibus haberetur,
Gregorius XIII. primo
anno ſui Pontificatus, in-
ſtituit, ut prima Domi-
nica Menſis Octobris in
omnibus Eccleſijs, ubi

eſſet Altare vel Capella
prædictæ Inuocationis
Roſarij, hoc ſolenne fe-
ſtum celebraretur, perpe-
tuis futuris temporibus.

Lectio x.

Cauſa autem huius
inſtitutionis, ut idē
Pontifex in ſuis literis re-
ſtatur, hæc fuit. Turcarū
clafſis, & numero longe
ſuperior, & præteritis elata
victorijs, à Chriſtiano-
rum clafſe in virtute Do-
mini Dei Sabbaoth decer-
tante, die ſeptima Octo-
bris anni Dñi milleſimi
quingentefimi ſeptuage-
ſimi primi, non longe à
Corinthiaco ſinu peni-
tus deuicta, & quaſſata
fuit. Qua victoria vniuer-
ſum populum Chriſtia-
num ab impiſſimi Ty-
ranni

20
Do Rosario.

ranni faucibus diuino munere ereptum fuisse, inficiari nemo potest.

Lectio xi.

CVM ergo eadem die septima, quæ tunc fuit dies Dominica, prima dicti Mēsis Octobris, fraternitates omnes, sub dicti Rosarii nuncupationem militātes processionaliter incedentes, pias ad Deum preces effunderēt, quas per intercessionem beatissimæ Virginis ad dictam victoriam consequēdam multū profuisse credendum est: operæpretium se facturū existimauit, si ad tantæ Victorix coelitus procul dubio concessæ, memoriam cōseruandam, & ad gratias Deo & Beatæ Virgini agē-

das festum solenne sub nuncupatione Rosarij, prima Dominica Mensis Octobris, singulis annis celebrandum instituisset.

Lectio xii.

NOS ergo, fratres charissimi, summa animi alacritate hoc festū celebremus, gratias agētes Deo & Virgini, quod fidelibus hanc deuotionē, diuina reuelatione, tradiderit, quam sibi esse summo opere acceptam, tot exhibitis beneficiis illam recitatibus ab eius institutione semper testata est. Licet enim omnia, ad huius Virginis honorem instituta, sanctissima sint, cuius præstantia longe beatis omnibus antecellit: hac tamen peculiari de-

De Nossa Senhora do Rosario.

uotione eo potissimum tot à Sumis Pontificibus
colenda est, quod eam to- in eius gratiam indulgē-
ties sua reuelatiōe excita- tias largitas, quot nulli
uit, beneficiisque innu- alteri concessas fuisse cō-
meris populo Christiano pertū habem⁹: quam etiā
exhibitis cōmendauit. Ac non solum ad curam ma-
cedit etiā hanc Rosarii in- lorum temporalium, ve-
stitutionē toties ab Apo- rū etiam spiritaliū mul-
stolica sede approbatam, tum prodesse experimur.

Fim das Liçōes de Nossa Senhora do Rosario.

VImos este Officio da Sanctissima Virgem Nossa Senhora.
E tudo o que nelle se diz, he conforme à doutrina dos San-
tos, & da Santa Madre Igreja: E assi se pode seguramente Im-
primir. Em Coimbra 29. de Junho, de 1600.

O BISPO CONDE.

CONIMBRICÆ

Apud Didacum Gomez Loureyro, Vniuersi-
tatis Typographum.

Anno M. DC.